



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis  
ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCX**

De Posteriore Tomo Partis Quintæ Historiæ Societatis Jesu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

DE POSTERIORE TOMO  
PARTIS QUINTÆ  
HISTORIÆ SOCIETATIS

J E S U.




**D**ARTEM aliquam rerum à Societate in Europa gestarum, per octo decemve primos hujus Tomi annos, exarare cœperat P. Franciscus Sacchinus: sed cum intermissa scribendæ Historiæ nostræ cura per diu fuisset, relictæ ab eo schedæ, à blattis erosæ, ac mutilæ plerisque in locis repertæ sunt. Ex illis nihilominus quidquid potuit excerpi, P. Petrus Possinus collegit, ex iisque conflata rudem annorum aliquot materiam reliquit. Ante P. Possinum P. Vincentius Guinifius scribendam Societatis Historiam susceperat, sed præter unius alteriusve anni adumbrationem, nihil ab eo elaboratum exstat. Qui simul cum Guinifio & Possino idem Historici munus & locum obtinuit P. Daniel Bartolus nihil de Historia nostra Latine, multa Italico sermone diligenter & ornate scripsit. Historici postea nomen veriùs, quàm munus, accepit P. Honoratus Fabri. Quippe intentus eruditis commentariis, quos de arcanâ rerum naturâ edidit, absolvendis, spatium de historia cogitandi non habuit. Patri Josepho Reuxio, qui proximè decessit, nec voluntas, nec studium, defuit: sed cum sex, aut septem annorum Annales informasset è Sacchini & Possini schedis, lento morbo consumptus est. Itaque nihil ab eo, & aliis modo appellatis, nisi mancam & impolitam exigui temporis materiam accipi, quæ mihi proinde necessitatem cuncta de integro componendi attulit. Porrò satius duxi omnem rerum narrandarum sylvam certa in capita dividere, quæ separatim ab aliis singula tractarentur. Sic enim ad metam uno velut cursu non interrupta fertur oratio; quæ si dispertiatur, interjectis rebus, non loco tantum sed argumento plane disjunctis, necesse est

§ ij

memo-

memoriam & attentionem legentis infringi; tum vero quædam jam narrata repeti, ut eorum nexus cum iis quæ narranda instant, intelligatur. Atque hoc maxime discrimen inter annales & historiam intercedit, quòd annales qui scribit, res varias anno uno gestas, ut quæque accidit, persequitur; neque illas inter senectere, aut alias dividere ab aliis laborat. Contrà verò historię scriptor corpus quoddam componit è diversis partibus, unam in formam & exitum coeuntibus, ita ut primis extrema, causis effectus, consiliis facta, respondeant. Hanc rationem secuti, quantum licuit, fuimus; eamque video à doctissimis viris vehementer probari. Si quis tamen aveat omnia simul intueri, quæ incidunt in annum quemlibet ex iis, quos edisserimus, hæc suos per annos breviter digesta in III. Indice, ad operis calcem subiecto, reperiet. Synopsim librorum præfigere singulis placuit, quæ summam rerum dicendarum, & in pauca contractam imaginem in ipso limine exhiberet. Erunt fortasse qui graviter & iniquè ferant parerga quædam à nobis interposita, parum, ut videtur, historię nostræ necessaria, quales sunt regionum descriptiones satis prolixæ; ritus moresque gentium, imagines virorum insignium, & alia id genus. Hæc abesse poterant, fateor: non esse tamen ab Historię stilo penitus aliena persuadet exemplum summorum scriptorum, qui res Romanas Græcasve memoriæ prodiderunt. Quot enim huiusmodi amænæ aberrationes & grata diverticula occurrunt in Tito Livio, in Cornelio Tacito, in ipso Thucydide, cujus apta & pressa brevis à Tullio tam splendide celebratur? Neque tamen omnino sunt inutiles istæ narrationis deliciae. Exhilarant Historiam, præsertim religiosam, seriã per se se & gravem, ac legendi cupiditatem acuunt. Cibis etiam optimis addunt pretium condimenta, dum appetentiam invitant. Itineris longi laborem tediumque levant, ac moras dulces properanti licet viatori obijciunt villarum nobilium visendæ substructiones, urbium antiquarum pretiosa rudera, & monumenta eruditæ vetustatis, quibus Temporis invidia pepercit. Neque voluptati tantum hæc parerga serviunt; sed utilitatem quoque magnam

gnam habent. Quotus enim quisque est, qui res Indicas, aut Canadenses, exempli causâ, valde norit? Unde autem hæc notitia peti commodius potest, quàm ab Historia nostra, & Societatis hominibus, qui diu sunt in istis locis versati, & quorum fides laborare minus debet suspitione adulationis & negligentiae? Quid quod Evangelii præcones, quos pietas sua, & servandarum animarum ardor, ad ignoti Orbis gentes Christianis imbuendas mysteriis vocat, docendi sunt quæ suscipiant pericula, quas nationes, quibus institutis ac moribus assuetas, quibus infectas vitiis ac superstitionibus, adeant. Quod si nihilominus austeris censoribus placere vox Principis Lyricorum nequit, monens utile dulci miscendum esse: non valde pugnabo ut ista legant. Itaque consulto factum fuit ut ederentur diversis, minoribusque litteris, ac fere in singulorum librorum calcem rejicerentur, ut omitti sine detrimento perpetuæ narrationis possent. Unum superest quod moneam, ne quem hujus Tomi terreat moles, illum in duos dividi posse. Ita enim comparatæ sunt chartæ ac divisæ, ut libri priores septem, octo, vel novem, à posterioribus separari, & seorsum compingi possint. Indici tergemino addidimus expetitum diu catalogum Provinciarum, domorum, & collegiorum, quæ hoc anno MDCCX. in Societate universa numerantur. Perro cum Tomus prior istius quintæ partis decem libros complectatur, primum hujus posterioris Tomi Librum, undecimum appellavimus. Errata, quæ Typographis, licet multum monitis, exciderunt, lectoris benignitas condonabit.



CUM Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii fama celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hæctenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolute, & quæ cadunt super personam, sed ea duntaxat, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi & declarationi, qua par est observantia & reverentia, insistendo; profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ, nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum, catalogo adscripsit.